

5 devolsit ilei acuto sibi pondera silice.
 itaque ut relictā sensit sibi membra sine viro,
 etiam recente terrae sola sanguine maculans
 niveis citata cepit manibus leve typanum,
 typanum tuom, Cybele, tua, Mater, initia,
 10 quatiensque terga tauri teneris cava digitis
 canere haec suis adorta est tremebunda comitibus:
 'Agite ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul,
 simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora,
 aliena quae petentes velut exules loca
 15 sectam meam executae duce me mihi comites
 rapidum salum tulistis truculentaque pelagi
 et corpus evirastis veneris nimio odio,
 hilarate erae citatis erroribus animum.
 mora tarda mente cedat; simul ite, sequimini
 20 Phrygiam ad domum Cybeles, Phrygia ad nemora deae,
 ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
 tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
 ubi capita Maenades vi iaciunt ederigerae,
 ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
 25 ubi suevit illa divae volitare vaga cohors:
 quo nos decet citatis celerare tripudiis.'

Simul haec comitibus Attis cecinit notha mulier,
 thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
 leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant,